

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## MELISSA MULTIFARIA ...



... pugnax: institutio scholaris est funditus reficienda!

☞ p. 2

... subaquanea: incredibile est, quanti thesauri adhuc iaceant in maribus fluviisque.

☞ p. 4

... picturalis: Iohannis Memling memoriam celebrat discipula Latinitatis amantissima.

☞ p. 7

... anthologica: series continuatur, qua ostenduntur commentarii olim editi. Hodie: "Jarus".

☞ p. 8

... septentrionalis: Latinitas viva irrepit in Norvegiam.

☞ p. 11

... radiophonica: ecce novum horarium Nuntiorum Latinorum, quos soletis ex radiophono auscultare.


☞ p. 12

... psychologica: qua de causa amici nostri Finni sibi mortem saepius consciscunt, quam ceteri?

☞ p. 13

... garrula: varii nuntii nobis allati sunt ex orbe Latino.

☞ p. 14



# DE INSTITUTIONIS SCHOLARIS PROPOSITO

**F**requentem sessionem in Domo Latina die duodevicesimo mensis Martii habuimus... et singularem. Nam, medio sodale nostro Roberto Deprez, tres homines nobis ignoti ex improvise invitati sunt ad propositum suum explicandum, quod tendit ad scholam privatam in quodam oppido Brabantiae meridionalis condendam, ubi linguae classicae modo tradito doceantur. Huic accedit quod Inga Pessarra, L.U.P.Ae coryphaea, sessionem inopinanter participavit. Nobis etiam gaudio fuit vinum spumans bibere in salutem fidelissimi sodalis Alani Van Dievoet, cuius fortuito erat dies natalis. Ultimum sed non minimum: valde gratulati sumus minimae natu nostrorum sodalium, Annulae Castillo, quae, dum ultimum annum cycli secundarii feliciter peragit, palmam meruit in certamine Latino inter 750 discipulos eiusdem anni instituto; eadem paucis diebus post etiam accepit palmam Graecam.

Sed satis de circumstantia; ad rem ipsam veniamus oportet. Circummissa epistula participibus huius sessionis propositum erat disputare "de scopo generali institutionis scholaris". Itaque propositum horum trium hospitem bene congruebat cum argumento nostro, sed, cum eis nulla esset consuetudo Latine loquendi, licentia per exceptionem data est primam horum verba Francogallice faciendi.

Se ipsos imprimis introduxerunt. Dux eorum, Stephanus Feye, Latine Graeceque eruditus, est musicus et docet in Musicae Regali Conservatorio Leodiensi; etiam est linguae Hebraicae peritus. Eius praecipuus adiutor, Iohannes van Kasteel, philologiae classicae licentiatus est partis Nederlandophoniae Liberae Universitatis Bruxellensis; studia regit et docet in privato Instituto Catholico Sanctorum Petri et Pauli Bruxellis sito; in quo instituto linguae classicae modo tradito adhuc docentur. Etiam est linguae Hebraicae peritus. Tertia, Sylvia Muller, est alumna tertii anni philologiae classicae in Universitate Neolovaniensi. Iohannes allocutionem Latinam praeparaverat, quam palam legit, ad causas propositi patefaciendas. Inde orta est uber disputatio inter praesentes, quam, res mira, hospites nostri verbis Latinis etiam coeperunt participare...

Stephanus Feye adierat Ministerium

Educationis Nationalis, ut sciret quibus condicionibus liceret scholam privatam condere. Ibi, cum nuntiaret discipulos modo tradito doctum iri, i.e. linguas classicae Latinam et Graecam multas horas discituros esse, Ministerii officialis horrescens dixit: "Dedecet hoc docendi modo uti, quia favet elitismo!"



*Iohannes van Kasteel, Stephanus Feye, Sylvia Muller*

Hic, re vera, est praecipuus nodus quaestionis nostrae. Exstat enim voluntas politica uniformitatem scholarem imponendi; quae voluntas nititur in dogmate democratico.

Omnibus participibus sessionis nostrae patebat vix fieri posse, ut in disputatione res scholaris separaretur a re politica. Exemplum Germanicum in albo explicuit Rainildis Aschoff: post scholam primariam, cyclus secundarius in Germania constat e tribus scholarum generibus, "Hauptschule", "Realschule", "Gymnasium", inter quae discipuli distribuuntur secundum suam indolem suumque ingenium. Quartum genus recentius creatum est c.n. schola comprehensiva, in quam tria genera contraherentur. Huic generi favent hodierni politici, propter ea quod putant discipulos hoc modo fieri cives democraticos uniformes. Nobis quidem videtur intolerabile rei publicae rectores parentum iura sibi arrogare.

Horum rectorum consilium iam patet e ministerii tituli mutatione. Antea vocabatur Ministerium Institutionis Publicae, cum ei curandum esset ut

etiam deficientibus parentibus omnes adulescentes bona institutione fruerentur. Postea vocatum est Ministerium Educationis Nationalis, unde apparet hoc duplex regentium consilium: imprimis ut discipuli non solum doceantur, sed secundum eorum dogmata educentur, et insuper ut discipuli iam a puero imbuantur mytho nationali, in lingua nationali nitenti, quam pro dea habent politici sui commodi causa.

Dogma consulto saepe non congruit cum re. Habentne discipuli ingenium uniforme? Nullus expertus magister hoc umquam autumavit. Natura poscit ut discipuli evadant diversi, sed dogma imponit ut videantur inter se similes. Huius modi conamina et mendacia nusquam, etiam in regiminibus communisticis, effecerunt ut societas humana fieret uniformis; ubicumque homines divisi sunt in ordines diversi ponderis, si non de iure, tamen de facto.

**C**um talis sit natura humana, ut quidam ordo ceteris necessario praeemineat, maximo emolumento societati humanae est curare ut hic praecellens ordo constet ex hominibus quam optime edoctis atque excultis. Hoc consilium plus minusve viguit fere ubique Europae usque ad medium XX saeculum. Tunc maxima mutatio incohata est et propter Foederatas Civitates Americae praepollentes, quarum exemplum videbatur imitandum, et propter pondus sinistrarum partium, quae promittebant se hominum aequalitatem instauraturas esse.

Cuius mutationis effectus iam percipiuntur. Studiorum universitates redundant alumnis imperfecte edoctis excultisque, id quod dolent professores. Etiam ei, qui diploma meruerunt, iam non habent auctoritatem, qua antea fruebantur universitarii; facti sunt technici inter technicos, specialistae cuiusdam finitae scientiae, sine hac lata humanaque mundi visione, qua egent veri optimates.

Loco optimatum, qui nunc sunt homines praepollentes regentesque? Sunt, plures in dies, inculti qui plerumque dolosis inhonestisque modis potentiam sive pecuniariam sive politicam adepti sunt. Iidem efficiunt ut institutio scholaris gignat incultum, ne sibi ipsis diutius sit erubescendum de suo incultu. Haec verba fortasse videntur dura; mei solius tamen non sunt, sed ubicumque a liberis hominibus sparsim proferuntur. Qui infeliciter adhuc parum possunt contra eos, quorum quaestus sive suffragia pendent a multitudine.

Etsi nobis videtur societati humanae perutile esse ingeniosos discipulos institutione magis otiosa et humana frui, tamen putamus traditam gymnasiolorum institutionem ad novam historicam circumstantiam aptandam esse.

Propositum traditae institutionis, qualis vigeat XX saeculo, erat excultiores homines formare, qui suae nationi diligenter inservirent. Mutatis mutandis ad Europam cunctandam nunc formandi sunt diversarum nationum ingeniosi discipuli.

Imprimis linguae Latinae institutio renovanda est. Oportet eius finis non solum sit mentes exercere, sed etiam usum linguae docere, quae est historicum vinculum totius excultae Europae. Necesse est discipuli linguam Latinam percipiant non ut aridam exercitationem, sed ut veram linguam, cuius subtilitatem melodiamque aestimare valeant.

Lingua Graeca classica etiam est docenda, sed fortasse non omnibus ad eundem gradum. Ambarum linguarum classicarum notitia necessaria est ut discipuli sucum nostri cultus humani haurire possint ex ipsis radicibus.

Eodem tempore historia antiqua imprimis est docenda, quia est summa omnis humanae experientiae de bello, de pace, de cultu civili, de regiminibus necnon de consuetudinibus politicis. Quibus compertis historia modernarum nationum multo facilius intellegi atque iudicari potest. Insuper historia antiqua hoc maximum emolumentum habet, quod nullam hodiernam gentem Europaeam offendit. Idem dici non potest de historia moderna tali, qualis adhuc docetur. Singulae enim nationes, cum gloriantur de victoriis suis, devictarum vulnera exasperant.

Europae historia moderna novo modo est conscribenda et docenda: homines omnium gentium qui aliquid contulerunt ad cultum humanum poliendum, ad artes illustrandas, ad scientias augendas, digniores sunt qui in memoriam revocentur, quam superbi principes vel insidiosus bellatores. Oportet discipuli inveniant quibus de causis et quibus instigantibus Europaeae gentes duobus bellis intestinis nostro saeculo paene sint exhaustae.

In hac parte studiorum, de qua hucusque tractavimus, discipuliveniunt fundamenta humanitatis, quae omnibus gentibus Europaeis sunt communia.

Aequi ponderis in studiis oportet sit mathematica, quam ingenium Europaeum incredibiliter auxit a tempore Renascentiae; quare mathematica non solum est instrumentum ingentium progressuum technicorum, sed etiam magna pars nostri patrimonii culturalis. Optandum est ut magistri qui mathematicam hodiernam docent etiam aliquid sciant et doceant de singulari historia mathematicae. Hoc modo magistri mathematici etiam propiores fient magistris litterariis, qui hodie dicuntur.

Institutio, qualis supra adumbratur, certe est gravis atque tantum minori discipulorum parti

convenit. Illi tamen, qui ea fructi erunt, multo minus perturbabuntur celeribus mundi hodierni mutationibus; etiam multo facilius se aptabunt necessitatibus continenter renovatis.

Hoc modo certe fit selectio optimorum. Sed quo iure non fiet? In certaminibus gymnasticis selectio omnibus videtur comprobanda. Id quod bonum est cum agitur de corpore, cur reiciendum est cum

agitur de animo?

Praesertim homines hoc modo formati identitatem supranationalem Europaeam adipisci possunt. Iohannes Monet multo tempore iam dixit ad Europam cunctandam imprimis cultum communem esse fovendum.

Gaius LICOPPE

## PER RESTAURATIONEM AD ANTIQUITATIS NOTITIAM

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

### 1. DE STATUIS AENEIS, QUAE A «RIACE» NUNCUPANTUR

Cum superiore anno Siciliam obirem, facere non potui quin in itinere stationem facerem Regii Iulii (v. Reggio Calabria). Nam in museo huius urbis exhibentur duae magnae aeneae statuae, quae die 16 m. Augusti a. 1972 non longe ab oppido c.n. Riace ab urinatoribus inventae sunt. Circiter trecentis metris ab ora maritima iacebant in fundo maris sub octo aquae metris. De quadam nave, fortasse Romana, tempestate iactata, videntur in mare proiectae esse.


Statim ac agnitae sunt ut opera Graeca quinti saeculi a.C.n., celeberrimae factae sunt; rarissimae enim sunt magnae statuae originales aetatis classicae antiquorum Graecorum, quae nobis servatae sunt.

Aes tamen in aqua salsa per tot saecula non manet integrum. Longa difficilisque restauratio erat necessaria, quae imprimis Regii Iulii incohata est, deinde ab anno 1975 usque annum 1980 Florentiae perfecta. Ad restauratas statuas admirandas iam factus est maximus concursus Florentiae et postea Romae, antequam in perpetuum disponerentur in magno Regii Iulii museo, iussu Benedicti Mussolini exstructo.

Mihi licuerat statuas ibi iam ante nonnullos annos admirari. Subterraneum musei tributum est inventis archaeologiae subaquaneae, quorum

tria sunt maioris momenti; hae duae statuae aeneae, cum paulo altiores sint quam statura corporis humani, ad se statim convertunt lustratorum oculos; tertium, quamvis multo minus sit, tamen etiam dignum est quod conspiciatur. Est caput aeneum quinti saeculi a.C.n., quod dicitur Philosophi, cum habeat aspectum senis barbati. Ab urinatoribus inventum est anno 1969 ad os septentrionale Freti Siculi, non longe ab oppido Porticello; iacebat in fundo maris inter reliquias confractae navis Graecae antiquae.

Superiore anno cum comitibus meis, qui has statuas nondum erant contemplati, ad museum



*Ambae statuae in mensis iacent singularibus instrumentis circumdatae, velut in oeco chirurgico.*



pervenit paulo ante horam, qua vetitur ingressus. Quare statim cucurrimus ad subterraneum. Quid! Oecus archaeologiae subaquaneae est paene vacuus; absunt magnae statuae; in angulo solum meditari pergit caput Philosophi! Cum manifeste videar valde deceptus, custos me adit interrogans: «Quaerisne magnas statuas?» - «Certe» - «Ascendas has parvas scalas et progrediaris in directum...» Parvae enim lignae scalae erant contra parietem dispositae, quibus per exiguum andronem ducebatur ad magnam cellam totam vitream: ibi ambae statuae in mensis iacebant singularibus instrumentis circumdatae.

Res explicabatur quattuor linguis in magna iuxtaposita tabula. Coniunctio frugifera facta est inter fabricam c.n. Finmeccanica sponstricem et Rebus Restaurandis Romanum Institutum Centrale operatorem. Propositum huius coniunctionis est recentissimis instrumentis uti ad interiorem statuarum partem et explorandam et curandam. Nam restauratio tantum exterior effici potuerat atque nemo sciebat quali in statu essent parietes interiores; praeterea in statuarum cavo certe manebat nocivum sal.

Utraque statua habet foramen in planta pedis;

insuper deest oculus statuae B, quae est bellatoris maioris natu. Per haec tria foramina archaeologi excogitaverunt fieri posse, ut instrumenta recentia q.n. endoscopia introducerentur in statuarum cavum. Fabrica Finmeccanica instrumenta ad rem aptavit praebuitque.


Cella vitrea, ubi statuae tractantur, habet aspectum oeci chirurgici. Ut mos est nostris temporibus, archaeologi operantur coram lustratoribus per specularia spectantibus. Endoscopium praeditum est microcamera televisifica in extremo flexili tubo infixam, quo in remotissimos statuae sinus accurate ducitur, dum archaeologi in televisorii quadro interiora adspiciunt quasi ipsi essent in extremo tubo. Eodem modo operantur hodierni medici, qui omnes coli anfractus per anum diligenter explorant. Archaeologi, ut medici, non solum explorant, sed etiam curant. Nam per tubum etiam introducitur specillum ultrasonos emittens, quo sal nocivum de parietibus detrahitur.

Discessimus laudantes hanc miram coniunctionem archaeologiae cum arte technica recentissima.

\*  
\* \*

## 2. DE NAVE PUNICA

Occasione eiusdem itineris Siciliensis, mirabilia quaesivi usque ad occidentalem angulum Siciliae.



*Navis Punica*

Ibi, in urbe hodie Marsala, antiquitus Lilybaeo vocata, instructum est «Museum Navis Punicae», in quo exponuntur reliquiae illius submersae navis Punicae, quae sola adhuc inventa atque investigata est.

Anno 1969 ad litus Insulae Longae, quae non longe abest a Lilybaei portu, e profundo maris piscatores fortuito extraxerunt antiquum

fragmentum ligneum, quod extra aquam in aerem productum sine mora corrui. Duobus annis post missio archaeologica Anglica, duce domina Honor Forst, sibi proposuit ut hanc submersam navem inveniret, cui pertinebat ligneum fragmentum extractum. Archaeologa urinatrix mirans invenit reliquias navis Punicae tertio saeculo a.C.n. submersae, quae

fortasse perit inter famosum proelium navale insularum Aegatarum anno 241. Plus quam duo anni consumpti sunt in reliquiis e profundo extrahendis, a corruptione servandis atque in museo instruendis.

Museum ipsum est singulare, cum instructum sit in horreo magnae domus vinariae, ubi XIX saeculo parabatur vinum c.n. Marsala.

Non satis est reliquias tecto protegere; quae enim tam corruptibiles sunt, ut involvi debeant tentorio idoneo ad constantem humiditatem servandam. Itaque lustratores reliquias navis tantum possunt adspicere per nonnullas translucidas tentorii partes.


Re vera res tantum constat e pupa et sinistri lateris parte decem metra longa. Quae tamen sufficiunt ad plura supputanda. Tota navis videtur fuisse 35 metra longa et 4,8 metra lata. Duodeseptuaginta remiges movebant septendecim

remorum paria. Inventa sunt signa litteraeque alphabeti Punici, quas navis structores pinxerant vel insculpserant in tabulas statuminaque lateris. Nunc tandem aliquid scitur de modo Punicarum navium exstruendarum atque melius intellegitur cur hae naves tam celeriter exstrui potuerint, ut relatum est ab auctoribus antiquis.

Una cum ipsius navis reliquiis inventa sunt vasa, funes, arma et... ramuli cannabae sativae, quibus maceratis remiges verisimiliter utebantur ad laborem levandum...

\*  
\* \*

### 3. DE NAVIBUS ROMANIS MOGONTIACENSIBUS




*Navis reconstructa, velo expanso*

Archaeologia navalis etiam fluviatilibus inventis locupletatur. Cum mense Februario hornotinum Societatis Latinae consessum Mogontiaci participarem, mihi licuit novam partem generalis musei rerum Germanico-Romanarum huius urbis invisere. Instructa est in quodam derelicto horreo ad hunc finem optime restaurato atque destinata ad nauticam Romanorum artem illustrandam (v. Museum für antike Schifffahrt). Causa cur condita sit est fortuita inventio reliquiarum nonnullarum navium Romanarum in ripa fluminis Rheni, dum ante circiter tredecim annos solum excavatur ad fundamenta deversorii Hilton iacienda. Quo in loco videntur antiquitus fuisse navalia, quorum aspectus secundum effossionum inventa restitutus

est in duabus magnis tabulis lucentibus.

Medio in horreo exponitur recreata navis Romana expansis remis et velo. Talis exstructa est, qualem archaeologi eam sibi effingere possunt ex reliquiis inventis, quae pertinent ad quartum saeculum p.C.n.

Mira enim singularitas huius musei in eo est, quod iuxta oecum monstrativum instructus est oecus modernis machinis instructus ad ligneam compagem faciendam. Lustratores oeci monstrativi per magna specularia videre possunt quomodo archaeologi ab artificibus adiuti naves antiquas recreent ut plura comperiant de antiquorum technica arte navali. Res mira: archaeologi utilitatem methodi activae inveniunt eodem tempore, quo plerique philologi Latini eam neglegunt et spernunt...



*Pars quaedam magnae tabulae, qua Romani ostenduntur naves exstruentes.*



# DE IOHANNE MEMLING

SCRIPSIT ANNULA CASTILLO

Annus 1994 fuit quingentesimus anniversarius mortis pictoris Johannis Memling. Qua occasione Brugis facta est magna expositio quam mihi lustrare contigit.

homines (inter quos principes Burgundii) qui opera facienda peterent. Sic celeriter Memling clarus et dives factus est. Uxorem duxit Annam de Valkenaere et simul habuit et tres domus et tres liberos. Tandem mortuus est anno 1494.

De eius operibus, pauca dicam: imagines ipsae loquuntur. In initio opus est aliquantulum rigidum. Magnitudines, proportiones et scaenographia nonnumquam falsae sunt. Praeterea Memling oboedit praeceptis temporis sui: e.g. Sanctae Virginis imagines primum fundo aureo atque angelis ornatae sunt. Paulatim fit evolutio: fundus aperitur et hortus clausus apparet. Postea etiam rus vel civitas conspicitur. Eadem evolutio fit in hominum imaginibus. Primum donator pingitur in genua procumbens ad pedes Sanctae Mariae. Deinde videtur solus, manibus coniunctis, saepe ante fenestram. Multi vident in hac mutatione signum novarum cogitationum: non iam sola religio colitur, sed etiam homo. Nam Memling dicitur ultimus «primitivus» esse, atque initium novi temporis praenuntiare. *ia*



*Pars quaedam "Ultimi Iudicii"*

Johannes Memling natus est anno 1435 in urbe Seligenstadt (Germania). Tum temporis florebat ars gothica, cuius magnus artifex fuit Stephanus Lochner. Fortasse non fuit Memling re vera Stephani Lochner discipulus, attamen certi sumus eum iter fecisse Coloniam ad magistri urbem: hoc enim aspici potest in Johannis Memling operibus (e.g. in capsula Sanctae Ursulae, ubi urbs picta valde similis est urbi Coloniae).

Postea Bruxellas petivit, et discipulus fuit Rogeri van der Weyden. Usque ad hoc tempus, plura nescimus de eius vita. Quam ob rem prioribus saeculis fabulae fictae sunt: inter alia Memling dicitur cum Carolo Temerario, Burgundio principe, bellum in Francogallia gessisse; ibi vulneratus esse, Brugisque curatus esse (in Sancti Johannis nosocomio). Etenim Brugis prima vice anno 1465 (sexto mense post Rogeri mortem) invenitur Johannis Memling nomen, in oppidanorum indice. Sed cur Brugis? Verisimiliter pictor hanc urbem petivit non ad vulnera curanda, sed propter eius prosperitatem: illuc enim confluebant multi et divites mercatores, oppidani, nobiles



«Annuntiatio» est pars externa triptyci Johannis Crabbe, qui habetur pro uno ex antiquissimis, et cuius pars media in Italia conservatur, pars interna Neo-Eboraci, et pars externa Brugis; nam tabulae in longitudinem sectae sunt. Suspicio operis unitatis certitudo facta est radiologiae gratia. Triptyci pars externa solebat sculptas effigies ostendere. Sed hic, etiamsi architectura et vestitus albus et niger est, facies sunt «vivae».

# "JANUS, UNIVERSAE LATINITATIS RECENSIO ET LIBELLUS BIMESTRIS" (1919-1924)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

## 1. ANDREAS LAMBERT, «[PRAEFATIO]», *JANUS*, 3,1 (KAL. IUL. A° 1924), PP. 1-4 [LOCI ALIQUOT SELECTI]

En tertii anni primum fasciculum manibus tuis imponimus, amice lector. Janus noster, balbutientis infantiae aetatem emensus, firmato gradu ambulans audacior te salutatur. Longe tamen distat a maturitate: puerilibus erroribus ulterius clemens iudex sis, consiliis se gubernes, collaboratione locupletes candide rogas.

Qualem in metam tendat opus nostrum perspectum habes; sed iterum pauca verba liminaria facienda duco, hausta e praeteritorum mensium meditatione et experientia:

Vivam Latinitatem in suum regnum restituendam iudicavimus; nam intolerabile nobis visum est mortuam, quin etiam sepultam dici linguam quam ne aegrotare quidem concedimus. Dormivit, somno excitabitur, vivit et vivet, nec immortalis morietur unquam. Ad lugubres nenas et gemitus lamentabiles et flebiles jocos, qui commenticium circa feretrum audiuntur respondeat antiquitatis et medii aevi et recentioris et nostrae aetatis vegeta latina vox, ut viva[m] hanc esse fater[i] cogatur et surdus.

Vix addendum putamus, sed providendae sunt detractorum malevolae interpretationes, nullam nos praedicare vulgare idiomatum contempionem: non aegre ferimus quod Racine, Shakespeare, Dante, Cervantes, Goethe non latine scripserint; scripsissent, placeret; vernacule scripserunt, placet. Temporibus renascentium artium et litterarum inter doctos saepe lis mota est utrum Latinae an vulgari linguae praecellentia debeatur: Latinae deberi plurimi censere, - inique; hodie in eadem controversia paucissimos, ne dicam neminem, invenires qui non absque minima haesitatione ante omnia vernaculas linguas, Latinae ne in certamen quidem admissa, colendas et laudandas dicerent, clamarentque illis unice inter homines esse utendum, - iniquissime. Matri et filiabus aequus saltem honor tribuendus; hae diversitate et mobilitate et individualitate conspicuae, illa unitate per tempus, universalitate per spatium insignis. Quid multa? Taceam

innumeros ecclesiasticos auctores quorum Latina verba per omnes gentes sonabant et saeculorum abyssum transvolantia vivida usque ad nos pervenerunt; quis denique non colat Latinitatis numen cuius beneficio Marbodius, Mapes, Sannazarius, Lotichius, Santolius, Janus Secundus, ut paucissimos citem, Franci, Angli, Alemanni, Itali, Batavi, per utriusque hemisphaerae nationes disjecti unice et eadem immortalitati et plane caelesti lingua usi orbi et aeternitati cecinerunt? Quisquis sis, Tagum bibas aut Orontem, Americae recessus inhabites aut Asiae extremas plagas, brumalis Islandiae filius sis aut formosae Siciliae, tui sunt, avorum tuorum erant, nepotum erunt.

In novarum praecipue nostrarum rerum tumultu quae solida supersunt inter honestos vincula minime intercidenda putamus, sed multo magis firmanda et amplificanda. In periculosa obscuritate non extinguenda ab antecessoribus transmissa fax. Errantes inter nutantes jamjam culturae parietes antiquitatis leges et thesauros et grandia secreta et dulce sidus adorare, adolescentibus monstrare, nepotibus tradere debemus. Nonne in templo undique ruinam minanti vesaniae esset evertere nobilissimam columnam?  
(...)

Cum nulla nisi Latina lingua communis esse possit orbi erudito, opinamur in scholis occasionem Latine loquendi [[a]] magistris et discipulis frequenter arripiendam esse, in Universitatibus autem, quae Universi auditoribus patere debent, Latine integre esse docendum, examinandum et respondendum. In carminibus, narrationibus et caeteris hujusmodi poeticae vel litteratae venae fetibus ex aequo Latinitatem cum vulgaribus sermonibus stare volumus: quae mentem agitent exprimat scriptor ejus linguae verbis quae sibi naturalius fluant et liberius et exactius reddant quae somniaverit. In commercio autem doctorum, in disciplinis ut sunt medicina, jus, historia, philologia et omnis generis scientiae, nullam nisi Latinam linguam rite adhiberi posse profiteamur. (...)





2. ANDREAS THÉRIVE<sup>1</sup>, «DE PETRO LOTI, GALlico SCRIPTORE, NUPER DEFUNCTO<sup>2</sup>», *JANUS*, 2,2 (KAL. SEPT. A<sup>o</sup> 1923), PP. 30-31.

Mortuus est Petrus Loti, quem jam haud viventem, morbis affectum horrendis et Leti pavore oppressum rumor publicus nobis fingeret! Adeo ut dici possit scriptorem illum illustrem diutius sibi superstitem fuisse. O fortuna, o gloria! quam fortasse vanas moriturus vos repperit! Ingenium enim ejus lotum ferme constabat in Mortis praeceptione quâdam, quae maxime singulariter apud homines invenitur.

Ut modernum usurpemus verbum, «nihilista» Loti admodum fuisse videtur. Nihilo credidit, nihil speravit, nihil reverâ dignum quod mortales agant, in orbe esse terrarum censuit. «Neminem, nihil amo, nullam fidem, nullam spem habeo.» Talia in *Aziyades*<sup>3</sup> fabulâ verba leges. Itaque nec religio nec sapientiae ratio ulla ad animum illius accedit. Christianus sane non erat, utpote qui non Aenigmati universo solutionem esse putaret. Paganus vero minime, quia naturam rerum cum non diligebat, tum oderat potius. Mors una, mors ipsa cum eo versabatur, eum obsidebat perpetuâ obsessione. Nec, ut fit apud Epicureos, morte perceptâ, ad vitam concitatus refugiebat; sed de rebus mortalibus velut de cineribus et letali pulvere libabat.

At, dicet aliquis, non is erat homo qui opera magna exstruere posset, cum vitam humanam amore nullo, nullis cupidinibus voluptatibusve justiore fieri censeret. Scriptor enim egregius rebus humanis favet, libenter plurima curat et curanda sibi vel ceteris respicit. «Pessimista» autem nec animum nec corpus ad illusionem vitae servandam sine injuriâ exercere potest. Quid? Sterilemne dicemus et Parcarum amantem illum qui tot fabulas de regione somniorum evocavit, tot fictas personas vitâ donavit, tot mulierculas ad supremum gloriae gradum exaltavit? Minime vero. Ingenium enim creatoris oportet utique distingui de singulari ejusdem sapientiâ. Quid de mundo senserit, hoc philosophi docebunt; quid calamo mirabili scripserit, hoc ad criticos litterarum et historiae scriptores attinet. Necesse est enim fateri nec erga opera nec erga ceteros mortales sterilem Loti fuisse. Constituerat ethicam sibi peculiarem, in misericordiâ fundatam. Fratres hortabatur suos, ut dicit apud *Angkoris peregrinum*<sup>4</sup>, ad minuendam invidiam et odium et crudelitatem, ad fletus illos conciendos qui miseriis humanis flagitantur, denique ad fraternitatem illam animalium omnium, sive hominibus sive bestiis communem,

proclamandam. Cum multas regiones, multas animas expertus esset, omnesque cognovisset doloribus gravioribus quam pejoribus moribus repletas, hoc unum praeceptum ausus est profiteri: Condolescant! Ideo ei quoque condolescemus.

Illum saepe dictitantem audivimus se rerum omnium incuriosum esse, et etiam litterarum. Quod plerique non sine irâ tulerunt. Non enim est elegantis hominis lectiones tali modo detestari, et ab arte ipsâ abhorre in quâ ipse praecellet. Romanticus quidem erat, cordis sui praecipue curiosus, adeo ut, per aetatem totam, familiaritatem vel potius servitutum illam rumpere exoptaret, individuationem effugere suam tentaret, semet ipsum oblivisci conaretur. O conatus inanes! Unâ scilicet ratione homines procul ab carcere evolare possunt: dico cogitatione absumptâ. Quae non omnibus via tentanda nec commoda videtur. Non apud Hindustanos, non apud Sinenses, quidquid fabula refert, cogitatio tam facile negari potest. Peccatum cogitandi vel sciendi, secum poenam trahit, meâ sententiâ. Equidem minus facile crediderim Loti, scriptorem Gallicum, ad Eoam animam sese conformavisse.

Quamquam autem Loti jam longum tempus ab intentione juvenum abstractus erat, haud dubium est quin posteri opera ejus contra Temporis, deorum videlicet edacissimi, injurias sint servaturi. Parum de eo adhuc scriptum est; quin etiam de eo raro loquimur: jam vivus, illam oblivionem, ut ita dicam, immortalitati necessariam perpessus est, quâ litterarum opera nonnunquam aestimantur aequae ac metalla coticulae probationibus. Jam inter classicos relegatus erat auctores: quae fortuna nimirum praeclara esse videtur, si quidem meditamus illum non intellectus aluisse, nec de temporalibus rebus curavisse, sed hominibus tantum sensus ingenuitatem et cordis praebuisse. Genera enim simplicissima, velut primigenia, coluit, exemplum ut idyllia illustrissimae famae, quae pro palmis semper virentibus certe manebunt: *Ramuntcho* vel *Puella Chrysanthemis* vel potius *Islandijae piscatores*<sup>5</sup>. Quorum operum juvenus nobis jam aeterna paret quasi apud Veteres ab rustico poëtâ quodam composita fuissent. Ex quo intelligi potest illum vicesimo saeculo aetatem suam longius propagavisse quam ut apotheosin lucere sibi videret, sed aeternitatem illi tristi placidoque vultu subridentem jam esse natam.

3. ANDREAS LAMBERT, «[VALEDICTIO]», *JANUS*, 3,3 (KAL. NOV. A° 1924), P. 48.

Sperantes optime et conatus nostri fati confisi primum tertii anni fasciculum paucos ante menses tibi obtulimus, amice lector.

Hodie de Jani praematurâ morte certiolem te faciendi injucundum munus mihi incumbit.

Non lamentationibus indulgebo nec acerbioribus verbis describam quâ ratione naufragarit opus in quo instruendo quantum laboris et voluntatis, quantas vigilias, incassum eheu, consumpserim, taceo. Alto corde premam quae dicenda et severâ notâ distinguenda occurrunt

calamumque lacescunt vehementer.

Rationem reddere certe deberem amicis et collaboratoribus qui tantâ benevolentiam libellum nostrum susceperunt, mirabuntur forsitan tam subitam et inexpectatam conclusionem et causae explanationem desiderabunt, - sed displicet litem movere; Jani paginas ne guttâ quidem fellis inquinare volo. Gratias agimus amplissimas fautoribus omnibus; Jano a litterarum palaestrâ recedenti ignoscant rogamus. Ornatissime lector, vale.

\*  
\* \*

Commentarii q.t. prior *Janus. Universalis Latina Revista*, posterior *Janus. Universae Latinitatis Recensio et libellus bimestris*, Parisiis in vulgus sunt emissi annis 1919-1924; anno primo (1919) tres, anno altero (1923-1924) sex, anno tertio (1924) eoque ultimo tres fasciculi nitidis induti vestibus typographicis publicam prodierunt in lucem. Janum moderabatur Gallus quidam, nomine Andreas Lambert, iuventibus Georgio Prévot, viro poseos Secundanae peritissimo<sup>6</sup>, Edmondo Aubé, poeta Latino, Andrea Thérive, fabularum

Romanensium scriptore, Jacobo Tasset, Latinitatis defensore eodemque *Apis Romanae* sive commentariorum ante annum 1935 aliquamdiu Latine editorum moderatore<sup>7</sup>, aliis. Legentibus autem proponebantur carmina antiqua, recentiora<sup>8</sup>, recentissima tam primigenia<sup>9</sup> quam ex aliis sermonibus Latine versa<sup>10</sup>; item narrationes commentationesque de scriptoribus Gallicis, atque de usu et necessitate Latinae linguae. Quae omnia sermone facili eoque non semper emendato explicabantur.

ADNOTATIONES

- 1 Romanensium fabularum scriptor idemque philologus (natus Lemovici anno 1891); edidit inter alia praefationem in: Pie II, *Euryale et Lucrèce, roman traduit du latin* par H.J. Sikorski et W. Chopard (Parisiis, 1923).
- 2 Diem suum obiit 10 VI 1923.
- 3 Gallice *Aziyadé* (1878).
- 4 Gallice *Un pèlerin d'Angkor* (1911).
- 5 Gallice *Ramuntcho* (1897), *Madame Chrysanthème* (1887), *Pêcheurs d'Islande* (1886).
- 6 «De Johannis Secundi vita scriptisque», *Janus*, 2,2 (Kal. Sept. a° 1923), pp. 20-24; 2,3 (Kal. Nov. a° 1923), pp. 41-44. Ceterum idem vir de Jano Secundo (1511-1536) poeta complures in vulgus edidit et doctissimas lucubrationes Gallice exaratas. Latine autem et de Ronsardo egit: «De Ronsardi latinis poematibus», *Janus*, 3,1 (Kal. Iul. a° 1924), pp. 13-15; necnon «De recentioribus poetis qui Latine scripserunt», *ibid.*, 2,1 (Kal.

Jul. a° 1923), pp. 14-15.

- 7 Cfr. etiam «Sermo est animal» (La parole est un animal). Oratio in instituto Carthaginensi habita», *La Revue Tunisienne*, 1910.
- 8 *Janus*, 2,4 (Kal. Jan. a° 1924) anthologumena tantum e poetis recentioribus continebat, veluti e Jacobo Sannazario, Marco Hieronymo Vida, Petro Franco Batavo.
- 9 Cfr. e.g. E. Aubé, «In tabularum et signorum exedra die cerandi (die inaugurationis quem Galli dicunt "jour de Vernissage")», *Janus*, 2,2 (Kal. Sept. a° 1923), pp. 27-28; Id., «Idyllium mysticum», *ibid.*, 2,3 (Kal. Nov. a° 1923), pp. 47-48.
- 10 Cfr. e.g. P. Charpentier, «Oblivium. Carmen liminare "Tropaeorum" J.M. Herediae. Gallici archetypi Latina interpretatio», *Janus*, 3,2 (Kal. Sept. a° 1924), p. 31.



# DE DIEBUS LATINIS OSLOENSIBUS

REFERT THOMAS PEKKANEN

Latinistae Norvegi, auctoribus et moderantibus imprimis Vibeke Roggen et Hugone Montgomery, diebus 25-26 mensis Martii Osloae, in urbe principe Norvegiae, dies didacticos instituerunt, quibus titulus erat «Viva Latinitas in Norvegia» (Den levende latin i Norge). Invitatus eram, ut Osloam iam biduo ante venirem et praeter dies didacticos etiam programma radiophonicum participarem et in Universitate studiorum Osloensem acroasim facerem.

*Fagdidaktiske dager  
helgen 25.-26. mars*

## Den levende latin i Norge

Die Iovis 23 mensis Martis p.m. in aeriportum Osloensem nomine Fornebu haud procul ab urbe iacentem perveni, ubi Hugo Montgomery me accepit et autoraeda in deversorium Gyldenløve (i.e. folium aureum) vexit. Quinta hora postmeridiana ad aedes Radiophoniae Norvegiae properandum erat, ubi Tilman Hartenstein, redactor radiophonicus, me exspectabat. Radiophonia enim Norvegica seriem Latinam viginti quattuor programmatum praeparat, ex quibus primum mense Novembri emittetur. Haec series, nomine «Omnibus», non solum de grammatica et historia linguae Latinae aget, sed etiam et imprimis acroases Latinas varii generis, musicam et colloquia continebit. Hartenstein, illius seriei moderator, meas de lingua Latina opiniones in phonotaeniam recepit, quas postea programmati suo insereret.

Rebus Radiophonicis expeditis in cauponam in monte Holmenkollen sitam cum amicis Norvegis vecti sumus, unde mirabilis per totam urbem est prospectus. Mons ille, qui paucis chiliometris ab urbe distat, est bene notus, quod ibi quotannis celeberrimi ludi hiemales nartatorii instituuntur. Cena sumpta - ferculum Norvegicum ex piscibus marinis exsiccatis et pomis terrestribus factum mandaveramus - pedibus in medium collem descendimus, unde tramine ferriviario in urbem revertimus.

Die Veneris hora 10 in Veterem Exedram Universitatis studiorum Osloensis, media urbe

sitae, conventus diurnariis edocendis erat invitatus. Circiter triginta diurnarii advenerat. In initio chorus Scholae Cathedralis Osloensis cantore Tore Haakensen moderante carmina Latina cantavit, deinde Hugo Montgomery, Tilman Hartenstein, Einar Weideman, Vibeke Roggen nec non ego breves de lingua Latina lectiones velut praecursorias habuimus, tum quaestionibus factis respondimus, postremo dulcia domestica et mulsum gustavimus. Neque frustra haec omnia facta erant, nam in actis diurnis Norvegicis postridie eius diei editis multa et benigna de lingua Latina scripta erant.

Meridie in novis Universitatis aedibus, quae sunt in regione Övre Blindern dicta, Egil Kraggerud, professor linguae Latinae Osloensis, me accepit. Acroasim Sueticam de argumento Horatiano sexaginta fere studentibus et professoribus audientibus habui, postea videocasetas de Venusia, oppido Horatii natali, et de vita Horatiana spectavimus. Etiam casetam programmatis, quod BBC de nuntiis Finnorum Latinis mense Decembri Helsinki fecerat et mense Februario televisifice emiserat, praesentibus monstrare potui. Vesperi cauponam nomine «Alexandros» petivimus, ubi ferculis Graecis diem iucunde absolvimus.



Scene i en romersk Skole.  
Ira et Malesi i Herculaneum.

Die Sabbati dies didactici in aedibus Societatis praeceptorum coeperunt. Mihi de viva Latinitate in institutione scholastica adhibenda acroasis (Suetice) erat facienda. Textum Nuntiorum Latinorum die 16.3.1995 primum recitatorum attuleram, quo demonstrarem, quomodo in colloquiis Latinis Granivicensibus (Jyvä-

kyläensibus) studentes Latinos Latine docerem. Habui mecum etiam quaedam exempla exercitiorum, ab Erico Palmén scriptorum, quibus ille studentes tirones iam primo semestri ad usum Latinum activum allicere solet.

Post intentum de viva institutione Latina colloquium, prandio in eisdem aedibus sumpto, seminarium ita continuatum est, ut plerique ex magistris praesentibus de sua schola eiusque possibilitatibus ad classes Latinas incohandas vel augendas breviter referrent. Praeterea de argumento «Latinitas: cur, quomodo, quem ad finem?» (Latinfaget: hvorfor - hvordan - hvorhen?) disputabatur. Comperi esse in Norvegia hoc anno novem scholas, in quibus Latine doceretur. Numerum discipulorum Latinorum his annis esse multiplicatum.

Quarta fere hora postmeridiana in Gymnasium Christianum (Kristelig Gymnasium) prope situm transimus. Ibi auditorium erat multis computatris instructum, quibus programma nomine «Drillat», ab Einar Weidemann et Håkon Sivertsen ad

institutionem Latinam accommodatum, experiri nobis licuit. Hac methodo moderna, quae iuventuti ludis electronicis assuetae facere non potest, quin arrideat, grammatica Latina mira cum facilitate addiscitur et repetitur.

Potionibus aperitivis in thermopolio sumptis, die iam vesperascente cum collegis in cauponam «Capri» properavimus, ubi Festum Classicum erat futurum. Mira iucunditate et hilaritate cenavimus. Orationes Latine et Norvegice habebantur, carmina Latina cantabantur, immo vero etiam saltabatur. Societas linguis classicis studentium, nomine IVLIVS, una cum aliis dierum didacticorum moderatoribus festo classico celebrando optimam operam navaverat.

Quamquam conventus die Dominico continuabatur, adesse non potui, nam ante meridiem mihi in aeriportum proficiscendum erat, ut Helsinki reverterer. Neque tamen horas matutinas otiosus egi, nam amici Osloenses me per urbem vehebant, ut potissima eius monumenta viderem.

## NOVUM HORARIUM NUNTIORUM LATINORUM

N.B.: Si libros Nuntiorum Latinorum emere cupitis (pretium: 30\$ + expensae cursuales), scribatis ad librariam: Tiedekirja, Kirkkokatu 14, SF-00170 Helsinki (fax 358 0 635 017) atque indicetis numerum diemque ultimum chartae vestrae VISA/MASTER/EUROCARD. Tertium Nuntiorum volumen in lucem edetur proximo autumno.

**EUROPE**  
Central European  
Summer Time  
(GMT+2h)  
(Paris, Berlin)

Sun 06.53  
Eutelsat II-F1  
Sun 15.53  
Eutelsat II-F1  
Sun 16.23  
ASTRA I B/WRN  
Sat 21.23

Eutelsat II-F1  
15440 kHz/19m  
9730 kHz/31m  
6120 kHz/49m  
Sat 23.53

Eutelsat II-F1  
15440 kHz/19m  
11755 kHz/25m  
9730 kHz/31m  
6120 kHz/49m  
963 kHz/312m  
558 kHz/538m

**NORTH AMERICA**  
All Times EDT  
New York (GMT -4h)  
Sun 09.53 am

15400 kHz/19m  
11900 kHz/25m  
Sun 10.23 am  
Galaxy Five  
Sat 21.23  
Galaxy Five  
C-Span

Sun 11.53 am  
15400 kHz/19m  
11900 kHz/19m

**AUSTRALIA,  
SOUTH ASIA**  
All Times GMT  
Sun 08.23  
17820 kHz/16m  
15115 kHz/19m

**EAST ASIA**  
All Times GMT  
Sat 22.53  
9665 kHz/31m

**SOUTH AMERICA**  
All Times GMT  
Sat 22.53  
11845 kHz/25m  
9650 kHz/31m

**THE MIDDLE EAST,  
EAST AFRICA**  
All times in GMT  
Sun 04.53

Eutelsat II-F1  
15440 kHz/19m  
Sun 13.53  
Eutelsat II-F1  
Sat 19.53  
Eutelsat II-F1  
Sat 21.53  
Eutelsat II-F1

### SATELLITE INFORMATION

Eutelsat II-F1 (13 deg E)  
11.163 GHz (Deutsche Welle-  
Worldnet, Vertical Pol, Audio  
8.10 MHz.)  
ASTRA IB (19.2 deg E)  
11.538 GHz (VH-1 Europe),  
Vertical Pol,  
Audio 7.38 MHz.  
Galaxy 5 (124 deg W) 3.820  
GHz, Vertical Pol, the audio  
of the World Radio Network  
is at 6.80 MHz.




Y L E

Finnish Broadcasting Company  
PO Box 99,  
00024 Yleisradio,  
Helsinki, Finland



# DE DEPRESSIONE ANIMI

SCRIPSIT ANNULA KELA



Finni iam diu suicidiis admodum frequentibus notisunt. Nuper auctore Kansanterveyslaitos (Instituto Sanitatis Publicae) confecta est investigatio, ubi omnia suicidia, quae

anno 1987 in Finnia commissa sunt, expediuntur. Unus ex investigatoribus est psychiatriae doctor Erkki Isometsä, cuius dissertatio praesertim suicidas depressione animi affectos tractat.

Anno 1987, 1397 Finni suicidium commiserunt. Ex his circiter 1000 propter alicuius gradus animi depressionem mortem sibi consciverunt, plures quam e.g. calamitatibus vehicularibus quotannis interfecti sunt. Ex his 71 graviter depressi erant, quorum autem plurimi erant viri mediae aetatis familiam habentes - status socialis multum variabat.

Exiis 71 Finnis, qui anno 1987 graviter depressi mortem voluntariam obierunt, tantummodo pauci curam efficacem, aut medicalem aut psychotherapeuticam, acceperant. Oportet, ut homines animo depressi melius curentur, ut modi depressionem curandi iam existentes efficacius adhibeantur. Sed quo modo hoc fiat?

Primum tractemus naturam depressionis - quo modo inter se differant «depressio naturalis» et «depressio gravis». Unusquisque nostrum, si res adversas obit aut hominem sibi carum amittit, ad tempus animo deprimitur. Huius modi depressio est reactio naturalis atque utilis, quo auxilio problemata graviora tractamus curamusque.

Depressio gravis est morbus psychicus, sicut schizophrēsis, et complures per septimanas, plerumque dimidium annum, animum occupat neque causam praecipuam habet. Homo graviter depressus ne rebus cottidianis quidem animum attendere potest, se minimi aestimat, se iniuria accusat de rebus saepe fictis, defatigatum se sentit, sed dormire nequit, comedere non vult. Periculum suicidii apud graviter depressos maximum est, quin etiam 15 centesimarum.

Ad tempus quinae centesimae Finnorum, i.e. circiter 250.000, depressione animi gravi afficiuntur. Secundum Ericum Isometsä non tamen magis depressivi sumus quam ceteri populi, quamquam plurima suicidia committimus. Causa suicidiorum apud Finnos frequentium adhuc

obscura est - alii alcoholismum atque divortia aucta accusant, alii extensionem vitae urbanae atque solitudinem suicidia frequentia efficere aestimant, nonnulli depressionem economicam hoc tempore valentem. Homines depressi suicidiales saepe plurima problemata eodem tempore habent.

Depressio animi gravis saltem partim hereditaria est. Fieri potest, ut homines, qui graviter deprimi solent, errores geneticos habeant, quos uno vocabulo «genum depressivum» appellare possumus. Investigationes de geminis factae huic theoriae testimonia praebent, nam si unus geminorum depressione gravi afficitur, alter quoque veri similitudine 40-70 centesimarum eandem sortem obit. Ab una parte, si homines gena sua periculosa iam antea cognoverunt, temperi curam petere possunt, sed ab altera parte periculum est, ne depressionem tamquam fatum suum timeant expectentque.

Feminae bis saepius depressione animi afficiuntur quam viri. Paradoxe tamen duae partes suicidarum animo depressorum viri sunt. Haec paradoxa eo solvuntur, quod feminae viris saepius curam psychiatricam petunt. Duae partes eorum, qui psychiatrice curantur, feminae sunt. Erkki Isometsä se modum inventurum esse sperat, quo viri animo depressi curari cupiant.

Problema maximum, cum agitur de curatione depressionis, est parvus numerus psychotherapeutarum peritorum atque longum temporis spatium, quod cura depressionis sumit. Interdum homo graviter depressus tam defatigatus desperatusque est, ut colloqui non valeat. Hi homines efficacius medicamentis adiuvantur. Depressio quin etiam tam gravis esse potest, ut ne medicamenta quidem auxiliuntur. Tunc solum auxilium praebet curatio narcotica impulsibus electricis facta, quam secundum Ericum Isometsä tutam efficacemque esse constat, licet famam horribilem apud populum habeat.

Nono decennio huius saeculi cura schizophrēsis valde progressa est in Finnia. Nunc tempus adest, ut homines depressi efficacius curentur. Hoc modo paene 1000 Finni quotannis morituri fortasse vitam servare cupiant.



## NUNTII ...



### E LITUANIA

*Ad nos modo allata est haec epistula e Lituania missa; quae tam lepide scripta est, ut putandum sit eam non solum ad nos, sed ad omnes Melissae lectores et Latinistas pertinere. Epistulam scripsit*

Reverendissime,

Zivilé Dei gratia studens Universitatis Vilmensis perpetuam salutem et bonitatem vobis mittit.

Ausa sum vobis scribere et rem meam proponere. Fama fert, vos linguam Latinam amare et in vita cottidiana ea loqui. Ego incensa sum amore linguae Latinae atque cupio colloquiis sermonibusque cottidianis melius scire. Nos hic in Lituania in universitate linguae Latinae studemus, sed tantum legimus opera antiquorum poetarum: Vergilii, Ovidii, Caesaris, Ciceronis et cetera. Sed

*alumna nomine Zivilé Nedzinskaité, cuius inscriptio cursualis est haec: Dzūku, 7 - Traku Voké 4002 - Vilmiaus raj. - LIETUVA.*

loqui et scribere lingua Latina in vita cottidiana non possumus. Inclusi et miseri sumus et non scimus, quae in mundo de lingua Latina scribantur et quae opera nunc in lingua Latina sint. In nostra regione dicitur lingua Latina mortua esse, sed in pectoribus nostris lingua Latina viva est. Ideo oro vos ut de labore vestro narretis et nos in lucem ducatis. Ideo subsidium vestrum aut verbum consolationis exspecto.

Valete!



### E FRANCOGALLIA

Melissae moderatoribus magna cura est omnia divulgare quae spectant ad Latinitatem vivam, ubicumque evenerunt. Quare multas gratias agunt eis singulis, qui Melissam certiores faciunt de huius generis eventis.

Modo Clemens Desessard litteras ad nos misit, quibus nuntiavit magnas mutationes factas esse in editione commentariorum periodicorum, q.t. Vita Latina. Huius periodici subnotatores folium acceperant, quo nuntiabatur die 5 m. Iunii a. 1993 Vitae Latinae Consilium mutavisse curatorem, impressorem arcariumque. A quo tempore fasciculi imprimuntur in officina Dumas (Impressions Dumas, Saint-Etienne). Hoc facere Consilium inopinanter coactus erat propter decoctionem domus editoriae Aubanel, quae Vitae Latinae praebuit cunabula.

Quibus novis statutis Consilium conabatur impedire ne periodicum exstingeretur, cum in annos pauciores fierent subnotatores. Consilium promittebat periodicum fore locupletius atque constituto tempore editum iri. Consilium in animo habebat lectorum desiderata respicere.

Quo folio accepto, Clemens Desessard rescripsit se pecunia subnotationeque diutius sustinere nolle depravationem huius periodici, cuius titulus iam diu non congruit cum conditorum manifesta voluntate.

Res mira: Vido (Guy) Serbat, Sorbonnensis professor honorarius, qui Vitae Latinae praeses manet, litteras ad eum misit quae hoc quidem emolumentum habent, quod scopum hodiernorum moderatorum sine ulla ambiguitate patefacit. Scribit enim inter alia haec (a nobis in Latinum versa): «Vitae Latinae Consilium unanimum tecum non consentit. Nihil enim habet contra «Latinitatem vivam», dum ducatur methodus paedagogica per vetus vel sermo quo delectationis causa uti conantur nonnulli paucorum hominum circuli.»

Est re vera exstinctio propositi conditorum. Volebant enim illi periodicum condere, quo usus linguae Latinae restitueretur ad diversas nationes contrahendas. Periodicum Francogallice conscriptum, ubi de lingua Latina tractatur ad usum solorum Francogallorum, abusive usurpat titulum Vitae Latinae.





## ITERUM E FRANCOGALLIA

*Francogallus Administer Publicus Nationalis Educationis nuper accepit longam epistolam Latine scriptam, quam ad eum misit amicus noster Dominicus Pillet. Nescimus num Administer de sella*

Dominicus Pillet Domino Bayrou, Nationalis Educationis Ministro, s.p.d.

Heri, die quinta Maii, dum televisificam artem adspicio, diurnarium cui nomen est Poivre d'Arvor mirabilem nuntium nobis revelantem audivi.

Mox, aiebat clarus diurnarius, Francogalli pueri a quinta classe linguam Latinam discere poterunt. Hic nuntius mihi magno gaudio fuit. Ideoque tibi litteratissimo viro has litteras mitto, debitas gratias referens propter beneficium tuum erga iuventutem nostram.

Propositum tuum certe bonum est, at tamen non sufficiens. Si enim Europam facere volumus, ei linguam communem dare debemus; et quam linguam nisi illam linguam Latinam? Quod Iudaei post alterum omnium gentium bellum fecerunt linguam Hebraicam omnino mortuam e sepulchro suscitantes, ut ita dicam, cur nos per totam Europam idem non faciamus pro lingua Latina?

Nostris iam temporibus, dum lingua Anglica orbem terrarum invadit, nonnulli Europaei, associationibus factis, lingua Latina inter se uti pergunt. Si ergo nonnulli Europaei adhuc Latine loquuntur, cur non omnes alii aut saltem eorum plerique? Re vera lingua Europaea, naturalis atque historica, subsistit nunc hic, nunc illic, at ad istam propagandam voluntas politica, pro dolor, plane deest.

Et ideo, Illustrissime Domine, te deprecor ut lege aliqua omnibus litteris studentibus et etiam pueris nostris linguam Latinam discere permittas methodo tamen naturali, qua alias linguas

*sua deciderit, num ipse verba intellexerit, num interpres et fuerit necessarius, sed Francogallice respondit brevi epistolio, quod infra epistolam verbis Latinis contraximus:*

hodiernas discunt.

Olim, Renascentiae tempore, Iohannes Amos Comenius, vir litteratus, nolebat discipulos legere Latine, sed loqui. E cuius ore aureum illud dictum venit: «Discamus primum Latine balbutire, tum loqui; tandem Ciceronem, ut nobis dicendi quoque commonstret artificia, adhibimus.»

Discamus, aiebat, primum Latine balbutire... id autem ipsum est quod hodie tam multi et praesertim, pro dolor, magistri Latini non audeant! At tu, vir litteratissime, lege aliqua omnia mutare possis si velis. Et in hoc proposito tibi magno auxilio esse possint hae multae associationes pro Latinitate viva collectantes. Tunc magistri Latini sermonem Latinum pueros non tam ex aridis grammaticorum libris quam e viva voce et ex ipso usu doceant. Utinam haec fortuna nobis Europaeis mox adveniat!

In praesens autem et propter hodiernum propositum tuum tibi, Illustrissime Domine, maximas gratias agere debemus. Cura ut optime valeas.

*His fere verbis Administri consiliarius respondit:*

"Domine, Administrum Educationis Nationalis dignatus es hortari, ut institutioni Latinae faveret. Quamquam hi conatus neque efficient ut omnes tam bene Latine sciant quam tu, neque ut lingua Latina fiat lingua Europae, tamen speramus fore ut illum cultum animi foveant, quem amas. Gratias tibi agimus pro cogitationibus tuis."

*Id est, ut solet: nihil responsi.*



## E BAVARIA

Raimundus Fleischmann praesidet circulo «Rottal/Inn», qui pars est Foederalistarum Germanorum organizationis c.n. «Europa-Union». Actuosus sodalis est Unionis Europaeae Foederalistarum, qui singulis annis conventum bis habere solet. Melissam certiozem fecit diebus 8 et 9 m. Aprilis Foederalistarum conventum Bruxellis habitum iri, cui interfuturus erat. Nos praecipue monere volebat se superiore conventu proposuisse, ut crearetur Consilium Culturae Educationique Europaeae provehendis.

De hoc proposito generaliter bene accepto

statuendum erit inter conventum Bruxellensem. Causa huius propositi est quod in foederibus Europaeis adhuc tractatur de rebus oeconomicis et pecuniariis, sed vix de rebus culturalibus. Quae tamen sunt necessarium fundamentum integrationis Europaeae. Ergo non solum culturae regionales sunt fovendae, sed etiam cultura Europaea communis, ubi Raimundus Fleischmann nobiscum censet linguae Latinae primum locum essetribuendum. Ei ergo gratulamur de hoc proposito eumque invitamus ut nos Latine certiores faciat de rei exitu.





# LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

## CONVENTUS INTERNATIONALIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

Placuit Academiae, ut ille conventus apud Finnos in urbe Jyväskylä (quae Granivicus Latine appellatur) a die sexto ad tertium decimum mensis Augusti anni 1997 celebraretur. Argumenta in conventu Jyväskyläensi (Granivicensi) tractanda proposita sunt duo:

1. "De relationibus orbis Latini in terras septentrionales antiquis et mediaevalibus"
2. "Quomodo lingua Latina hodie doceatur"

De lingua conventus Granivicensis **Academia unanimiter statuit, ut omnes orationes, acroases relationesque Latine pronuntiarentur**, quamquam in colloquiis et disputationibus extemporalibus nec non in actis postea edendis etiam maiores linguae modernae approbarentur.

## SEMINARIA LATINA

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

**Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 30 mensis Iulii in diem 5 mensis Augusti a. 1995**  
supra lacum "Quattuor Regionum"

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
Postfach 1150  
D-66041 Saarbrücken

**Vavriae (Wavre) in Belgica a die 11 in diem 18 mensis Augusti a. 1995**

non longe ab urbe Bruxellis  
Scribatis ad: Gaium Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

## SEPTIMANA LATINA AMOENEBURGENSIS

"Latine loqui - Romane coquere - Latinitatem inter nationes"

**Amoeneburgi (apud Marburgum) in Germania a die 6 in diem 12 mensis Augusti a. 1995**

Scribatis ad: Thomam Götzhäuser  
Kleeberger Strasse, 40  
D-35510 Butzbach

## FERIAE LATINAE

a Dre Suito Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..."

**Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 27 mensis Augusti in diem 3 mensis Septembris a. 1995**

Scribatis ad: Clementem Desessard  
Résidence des Collines, C 9  
500, Rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu